





59

3

FORTUNANTE NUMINE!  
DISPUTATIO POLITICA

De  
**REPUBLICA OPTIMA**

Quam  
Sub  
PRÆSIDIO  
VIRI

*Præcellentis atq; Præclarissimi*

**DN. M. SIMONIS FRIDERICI FRENZELII**

Facultatis Philosophicæ Adjuncti longe dignissimi,  
& p. t. Decani Spectabilis,

*DN. Patroni & studiorum suorum Promotoris  
omni observantia cultu prosequendi,*

PUBLICÆ  
*Examinandam proponit*  
AUCTOR

**NICOLAUS STARCK, Crempâ Holsatus.**

*In Auditorio Majori*  
Die VI. Junii, horis Matutinis.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis MICHAELIS Wende.  
Anno M DC LXIIX.







I. N. 7.

PROOEMIUM.

**I**Nitiò homines more ferarum vitam in sylvis & montibus vixisse solitariam, donec medio aliquo extrinseco compulsi, in civitatem coierint, sunt qui perhibent *Tholos. l. 1. cap. 2. de Republ.* In quo tamen determinando quàm maximè vacillant Politicorum sententiæ. Alii publicæ societatis originem indigentiam humanam esse volunt, quâ coacti ad mutuum sibi succurrendum, consociationem amplexi fuerint. *Plato lib. 3. de leg.* Nonnullis merum fuisse civitatis instituendæ causam, placet, quò commodiùs insultantibus resistere, omnemq; vim repellere possent. *Schonborn. l. 1. polit. cap. 4.* Sunt etiam qui Musicæ ortum ejus acceptum ferunt, cujus dulcedine humanum genus captum confluerit. *Horat in lib. de Art. pœt.* Quidam ignis conspectu miraculosè homines calore ejus delectatos, primùm ædes habere contiguas cæpisse opinantur, uti *Vitruv. refert, Keckerm. in præcogn. system. polit.* Alii ad religionis exercitium cohabitationem necessariam fuisse contendunt, in quorum numero hodiernum Jesuitas esse, vult *Liebethal. Colleg. polit. exerc. 2. quæst. 2.* Et quæ aliæ sunt variorum Auctorum sententiæ recensitæ à supra citatis, quibus adde *Dn. Reincking. de R. S. & E. l. 1. cl. 1. cap. 2. n. 1.* Verum quantum à recti judicii scopo aberrant isti, si penitiùs rem inspiciamus, patescit. Ut enim taceam, supremum Numen Respubl. ordinasse atq; instituisse *Rom. 13.* Cujus gratiæ hodierni etiam Imperatores regnum se debere fatentur *A. B. Carol. IV. in præfat. ibi das Christliche Keiserthum so von Gott.*

A 2

Hinc

Hinc Dei appellantur filii *Psalms. 82. v. 6.* à Jove nutriti secundum Homerum referent. *Keckerm. disp. polit. 2. aphor. 7.* imò ipsi Dii *Exod. 22. v. 8.* Ipsa humana natura nobis hujus societatis primordia ostendit, quæ mortales ex instinctu quodam naturali in unum congregavit, cum homo secundum *Aristot. l. 1. pol. cap. 2.* sit ζῷον πολιτικόν, cui postea perfectionem prudentia humana addidit. Quippe quem alium in finem naturæ tantis hominem cumulavit intellectus & vitæ rationalis donis, nisi illa in communi vitâ, proximi utilitati inserviando, exserere deberet, quod extra Rempubl. fieri nequit? Et si I&I auctoritate uti licet, *Florentinus in l. 3. ff. de J. & J.* naturam inter nos cognationem quandam constituisse affirmat, unde quàm optimè *Werdenhag. in univers. introd. in omn. Resp. cap. 2. pracogn.* Naturam, dicit, docere inter mortales societatis non minus quàm aquæ, ignis, panis, solis & aëris necessarium esse usum. Absurdè ergo à nonnullis homines principio solitudinem elegerisse statuitur, cum quod à naturâ est, nobiscum nascatur, ita ut nunquam fuerit tempus, in quo non societas & communitas aliqua vitæ floruerit *Tholof. lib. 1. cap. 2. de Republ.* Neq; hominum indigentia, metui, Musica, igni aut etiam religioni adscribendū primariò, quod sanctissimæ Dei ordinationi & reformationis disamina debetur; quanquam nonnullas ex adductis causis ad Reipubl. constitutionem impulsivas esse potuisse, non negemus *Liebethal colleg. polit. exerc. 2. quest. 1.* Hæc autem Respubl. non uno modo se habet, sed pro diverso administrationis modo aliud sortitur nomen: aut enim penes unum est imperii potestas, & dicitur Monarchia, aut per optimates regitur aliqua communio, & Aristocratia appellatur, aut universi præfunt, & Democratia nomen habet, quas tres Reipubl. potissimas formas nervosè tribus complectitur *Cornel. Tacit.* Cunctas, inquit, nationes seu urbes aut populus aut primores aut singuli regunt *l. 2. Annal.* Jam quænam inter has principatum obtineat, quæstio est satis intricata, jam olim apud Persas recuperato regno, à septem Conjuratoribus Magis gravissimè agitata, cum *Ottanes, Megabibus & Darius,* ut ex ipsorum doctissimis apparet orationibus, in diversas partes

ierint,

ierint. *Herodot. lib. 3.* Cui problemati, ut pro ingenii modulo factis fiat, hanc de OPTIMA REPUBLICA materiam, publicæ dissertationis loco, elegi. Faxit Deus ter O. M. ut omnia feliciter procedant!

## SECTIO I.

### Nominalia & rationem materialem referens

#### CAPUT. I.

#### *Exhibens Nominalia.*

##### §. I.

**V**erborum prior licet, rerum tñ. potior, habenda est ratio, cū cognito usu vocis, sæpè in cognitionem ipsius rei inducatur. *Arist. 3. Metaph. 2.* Neq; secundum Scholasticos intelligi possit, quid rei, nisi prius intelligatur quid nominis. Non sine causâ itaq; cum sanioribus Philosophis huic Methodo nos accommodamus, cū ordo obscuritatis lumen, difficultati facilitatem addat. *Arnis. lib. 1. polit. cap. 1.* prius, quàm rem aggrediamur, pauca de nomine optimæ Reipubl., ut ab æquivocatione, quæ semper errorum genitrix esse solet, liberemus, dicturi.

§. 2. Optimam autem Rempubl. diversimodè appellari, satis constat. Vocatur enim optima *simpliciter & absolute talis*, cui nihil perfectitudinis deest, qualis in mundo sperari nequit; quanquam in statu integritatis, si permansissent primævi nostri parentes, talem Rempubl. perfectissimam extitisse, & ad posteros propagatam fuisse, haud negemus cum *Excell. Dn. D. Wendl. in philosoph. pract. & Werdenbag. in univers. introduct. in omn. Respubl.*, qui Angelorum Politicæ ac potestatis non multùm ab similem fuisse affirmat. Non enim talis principatus vel regalis, vel despoticus intra paradisiacæ amœnitatis videra, qualem jam in statu miseræ habemus, fuisse, cum principatus despoticus pænæ loco sit, servitutemq; subjctam habeat, regalis verò propter directionem pacis & justitiæ à nationibus sit adinventus; sed politico quodam ordine ibi prælatio subjectioq; non dominandi libidine, sed officio quodam confundendi dirigendiq; semetipsos, fuisset eventura *Petr. de Andlo de Imper. Romano German. lib. 1. cap. 1.* ut vix audiendus hæc in parte sit

re sit divinus aliàs Philosophus, Plato, qui multa quidem egregia in opere suo de Republ. scripsit, sed talia, quæ lectorem licet afficiant, in praxi tamen nullum usum habent. Constituere voluit Rempubl. omnibus numeris absolutam, in quâ cives ad summum felicitatis culmen adscendere possent, nullâ imperfectitudine iammixtâ: sed quis affirmare auderet, hominum mores, ut nunc sunt, exquisita omnia admittere? Ubi invenies populum iis naturæ dotibus prædictum, ita etiam institutum, ut perfectæ virtutis possit esse capax? Ubi tantam omnium abundantiam, ut nihil superaddi queat? Hujus errorem erravit Plotinus, qui Gallieno Imperatori persuadere conatus fuit, se velle circa Neapolin Campaniæ urbem in deserto quodam oppido, Rempubl. ex præscripto Platonis instituere, quod etiam impetrâset, nisi restitissent Aulici *Piccari. ad Arist. lib. 2. cap. 3.* non nescii, in politicis non tam, quod videretur optimum, quàm quod ad usum transferri potest, esse considerandum. Præterea optima quoque dicitur Respubl. *secundum quid talis*, respectu ad alias Respubl. habito. Nos priori acceptione habitâ in super, mentem addicimus posteriori, magis nostro inservienti instituto.

§ 3. Quare Nec eam Reip. optimæ significationem facimus nostram, quæ communis maxime est, omnibus civitatibus competens: in quem sensum *Piccari. ad Cap. 1. lib. 7. polit. Arist.* inquit: Beata civitas est, in quâ optimo statu Reipubl. constituto, omnes qui in eâ sunt, vitam maximè ex virtute agunt, bonis etiam fortunæ & corporis usq; eo instructi, ut probas ex virtute actiones obire possint: *Absolute* optimus ibi describitur status, *non comparatè.* Quo inclinatur Disputatio *Conring. de optim. Republ. anno 52.* habita. Externus finis politicæ est bene feliciterq; vivere: & optima Respubl. est juxta eum, si civitas optimè gubernatur: optimè autem gubernatur, quæ *τὸ εὐδαίμονειν* seu felicitatem maximè recipit, ut ex *Arist. deducit ea Cellar. in politic. lib. 1. cap. 1. pag. 17.* Nostra verò ratio optimæ Reipubl. petenda potissimum est *ab interno formali*: Cætera enim magis pertinent ad materialem ejus statum, qui si describendus



bendus veniat quodammodo, minime tamen optima: Reipubl-  
rationem absolvit & terminat.

S. 4. Præterea Politici collaturi diversas Rerumpubl-  
formas, præstantiam earum spectant vel *in thesi*, citra respectum  
circumstantiarum: vel *in hypothesi*, respectu hujus vel illius re-  
gni: est itaq; Monarchia præstantior singulis *in thesi sive in se*  
spectata: *in hypothesi* verò sive respectu certæ politicæ, Aristoc-  
ratria vel Democratia convenientior certis populis esse videtur.  
Quod enim in corporibus humanis usu venire solet, ut diversi  
temperamenti & constitutionis sint, diversumque robur præ se  
ferant: ita multitudo illa populorum diversam obrinet indolè,  
ut alia Reipubl. forma conveniat huic populo, alia alii: Sunt,  
qui divitias anhelant, sunt quidam morum barbarorum & in-  
humanorum, alii verò compositorum magis; sunt deniq; qui  
potentiam meditantur sibi parandam: homines inferioris in-  
dolis liberè se unius imperio submitunt facilè, quod recusa-  
rent fortean feroces. Ut adèd in personis ad certam politicæ  
formam redigendis, cum maximè *quod quale & quantum* juxta  
*Arist. 4. polit. 12.* perpendendum veniat, & circumstantiæ lo-  
corum temporumque probè respiciendæ sint. Aliter enim  
judicabis de Reipubl. instituendâ etiam, ubi Monarchiam om-  
nino præferemus, aliter de institutâ, ubi non quælibet multi-  
tudo quamlibet patietur formam regiminis, ut nec quælibet  
materia, quamlibet suscipit formam in corporibus.

S. 5. Deniq; distingvenda omnino nobis est Monarchia  
spectata *in abstracto & ratione sua essentia*, quâ ratione omnium  
est præstantissima & optima: à Monarchiâ, consideratâ *in con-  
creto, ratione existentia*: quo modo Aristocratia & Democratia  
sæpe numero Monarchiæ præripit palmam: vitia enim Monar-  
charum & defectus intolerabiles nonnunquam, non tribuendi  
sunt Monarchiæ, cum bonitas & malitia de se non ad intrinse-  
cam Reipubl. rationem, sed accidentalem statum pertineat.

### CAPUT II.

*Pertractans rationem materialem.*

S. I.

**R**eipubl. optimam delineaturis placet ire primum per cau-  
sas, & inquirere in genuinum rei sanctissimæ fontem.  
Quam



Quam plurimi sunt modi, quibus scepra atq; imperia summa  
constituuntur. Sic alii *immediatè* à Deo ipso ad thronum  
Principis vocati sunt, uti Saul. 1. *Sam.* 9. & David 2. *Sam.* 2.  
Alii *mediatè* regium diadema adepti sunt, idq; vel per electio-  
nem, vel per successionem, quod apud omnes fere gentes re-  
ceptum esse traditur ab *Arum. ad A. B. Disc. 2. th. 1.*

§. 2. Electionem amplectuntur Germani in Imperio no-  
stro, cujus primordia post mortem C. Caligulae capisse, refert  
*Beck. in Synops. de jur. imp. 1. 2. cap. 1. n. 3.* cum quo facit *Reink.  
de R. S. & E. lib. 1. cl. 3. cap. 2. n. 16.* quicquid sit, nobis sufficiat  
hodie per *A. B. Carol. IV.* non successione, sed electione Se-  
ptem virorum, post pacem Osnabrugensem Octo virorum. *In-  
strum, pac. art. 4. §. 5.* Imperatores creati, quod tamen negare  
videtur *Bodin. l. 2. cap. 3. de Republ.* cum in Imperio Romano  
Germanico non aliunde, quam ex serenissimâ Domo Austriacâ  
per longam annorum seriem Imperatores designati fuerint,  
quod magis successionem, quam electionem sapiat. Cui ex  
asse satisfacit *Myler. in Addit. ad Rumel. part 1. dissert. 3. th. 3.*  
temerè enim à sanguinis propinquitate etiam in regno electi-  
tio non est recedendum, præsertim si posteritas majorum vir-  
tutes æmuletur, quas maximè in familiâ Austriacâ commen-  
dat *Limna. de jur. publ. lib. 5. cap. 2. n. 3.* Cujus etiam tanta fuit  
felicitas, ut intra 15. annorum spacium omnibus in orbe Chri-  
stiano regnis, exceptâ Scotiâ, Reges vel Reginas dederit, uti  
ex *Casp. En. thes. polit. l. 1. apot 6. refert. Knipsch. de fideicomm.  
famil. nobil. cap. 1. n. 114.* Aliam dignitatis Cæsareæ in familiâ  
Austriacorum continuationis rationem adducit *Sever. de Mon-  
zamb. de stat. Imp. German. cap. 2. §. 4.* ne à corpore Imperii,  
quod privilegiorum insignium, quibus sibi prospexerunt, jure  
quam facillime facere possint, se avellant.

§. 3. Sic Sveci electionis jure regno præficiuntur, Hun-  
gari, Poloni & olim Dani ex Comitibus Oldenburgicis Reges  
sibi elegerunt *Reinking. de Reg. sec. & Eccl. lib. 1. cl. 3. cap. 2. n.  
10.* quod nuperrimè singulari numinis indultu in florentissimò  
illo regno mutatum videmus, ut non amplius eligantur, sed  
nascantur, qui ad clavum Reipubl. sedeant.

§. 4. Suc-

§. 4. Successione utuntur Galli, qui idcirco præ cæteris sibi gratulantur, quod Reges ipsorum non moriantur. *Dn. Lansf. in orat. pro Galliâ pag. 189.* Angliæ Reges, qui licet ante aliquot lustra operâ Cromyveli novi Britanniz, uti vocari voluit, protectoris, illo succedendi jure privati viderentur, per Carol. II. tamen hodie feliciter regnantem receperunt. *vid. D. Gerhard. de parlam. Gall. & Angl. discurs. post.* Hispani quoq; Moschovitzæ, Turcæ, & qui sunt alii, regna habent successiva.

§. 5. Sed Electio, an successio meliorem reddat Rempubl. aliis illam huic præferentibus, aliis contrarium sentientibus, non satis est expeditum. Nos statuimus liberè, electionem præ successione esse optandam, cum sui naturâ videatur antiquior, nullus enim, si intra hos duos ad imperium perveniendi modos subsistamus, succedere potuit, nisi prius quasi electus fuerit, *Siebenthal colleg. polit. exerc. 6. quest. 3.* Est Electio magis divina. Unde in rebus Ecclesiasticis nulla successio probatur. *cap. accepimus extra de past.* Electio quoq; præstantior videtur, cum in idoneum rejicere possit, *Arnif. li. 1. pol. cap. 9.* Successio verò non tantum ætate, sed etiam ingenio pueros quandoq; qui vix sibi, nedum regno prospicere possunt, obtrudat. Politicorum hoc seculo non infimus *Conring. disp. de regn. & tyrann. lib. 72.* modò certis legibus illa sit circumscripta, uti Electores in Imperatoris electione ante ipsum actum jurare tenentur, scelle secundum discretionem suam sincerè & liberè absq; prece & pretio populo Christiano temporale eligere caput, id est, Regem Romanorum in Cæsarem promovendum. *A. B. tit. 2.* quod adeò necessarium, ut neq; Electores illud juramentum sibi remittere possint, cum sit de substantiâ & formâ electionis; quod etiam in plerisq; regnis electitiis observatur, cum aliàs facillimè circumventiones infinitæ excogitari possent, quibus regno noceatur: quilibet enim sibi nummis aut aliis modis suffragia comparaturus esset, nisi qui vota ferunt, juramenti vinculo obstricti essent, cujus religio in tantum intra fidei terminos illos continet, ut Fridericus Elector quondam Saxoniz, cum delatum sibi imperium ad Carolum V. suffragio

suo detulisset, à Caroli Legatis triginta millia florenorum ob-  
lata constantissimè rejecerit, cumq; urgeretur, ut tantum de-  
cem millia pateretur dare Ministris, Accipiant, dixit, si velint,  
attamen nemo valebit postridiè apud me, qui vel aureum acce-  
perit. uti ex Sleidano narrat *Myt. in Addit. ad Rumel. part.*  
*1. diff. 3. th. 4.*

§. 6. Non autem damnamus successionem, qui modus  
etiam est sceptri capessendi legitimus, jure divino *Deut. 17. v.*  
*20.* & humano probatus, cum Principes plerumq; suæ indolis  
similes procreent, uti *Horat. libr. 4. carm. od. 4. canit:*

*Fortes creantur fortibus, & bonis*

*Est in juvenis, est in equis patrum*

*Virtus, nec imbellem feroces*

*Progenerant aquila Columbam.*

In hypothesi autem nihil certi est, quod definiti possit, cum  
tam electio, quam successio sua habeat commoda & incommo-  
da *Heid. syst. polit. cap. 6.* modusq; ille sit optimus, quem diutor-  
nus firmavit usus: nam quæ in suo statu eodemq; permanent,  
et si deteriora sint, tamen utiliora sunt Reipubl. his, quæ per  
innovationem meliora inducuntur. *ex Dion. referent. Aris. lib.*  
*1. pol. cap. 9.*

§. 7. Et illa sunt auspicia Imperantis felicissima in regno ma-  
ximè instituto, cum occupatio instituendum respiciat: Uti verò  
diversa sunt, ita magna æquo Rerump. diversitas est, ortu tra-  
hens à diversitate finis: & quidem externus ac remotus finis est  
gloria Numinis divini, qui non omni Reipubl. inducitur, neq;  
id eo Rempubl. constituit, neq; distinguit: externus verò prox-  
imus est bonum publicum, juxta *Arist. lib. 3. polit. cap. 4.*, & *Averr.*  
*tract. 3. de Republ.* inquam: In optimâ Republ. civilia, hoc  
est, communia curentur prius; oportet enim Rempubl. quæ diu-  
turna sit, velle, ut omnes civitatis partes consent, atq; in suo  
statu permaneant: quibuscum facit *Cicero libr. 1. offic.* apertè in  
illa prorumpens verba: *Salus populi suprema lex esto: & libr.*  
*5. de Republ.* ut & *8. ad Attic.* dicit, ut gubernatori cursus se-  
cundus, Medico salus, Imperatori victoria: sic Moderatori  
Reipubl. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, co-  
piis

piis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit Respubl. : eadem ferè habet eâ de re *Tholof. de Republ. lib. 3. cap. 5. n. 5* quem admodum pupillis tutor, Medicus ægris, ita Princeps subditorum utilitati prospicere debet.

S. 8. Cum tamen nō nūquā studium utilitatis publicæ degeneret in amorem usûs proprii, ut Monarcha publicis privata anteponat, magis dominatui deditus, aut tyrannidi proximus, uti videre est apud Turcas, Muscovitas, Hispanos quoad Indiam *Myler. in Add. ad Rumel. part. 3. dis. 2. th. 22.* : salusq; publica omninò negligatur, & finis proximus habeatur insuper; conveniunt tamen nihilofeciùs diversæ illæ Rerumpubl. formæ in essentiâ: recta enim Respubl., utilitatem communem intendens, qualis est regnum, Aristocratia, & politia: & corrupta privatam tantùm Imperantium utilitatem respiciens, ut Tyrannis, Oligarchia & Democratia non differunt nisi ratione qualitatis: Manet enim essentia Reipubl., manet ordo civitatis universæ publico regimine introductus non minus in rectâ, quàm corruptâ, non minus in probâ, quàm vitiosâ, variantibus licet finibus externis, & qualitativibus. Accidentalibus enim Reipubl. status cum essentiali ratione, qualitas cum naturâ & quidditate, finis deniq; cum formâ Reipubl. non confundi, sed probè discerni debent.

S. 9. Equidem, si qualitas cum Reipubl. essentia convenit & reatitudinem non modo inducit, sed & justitiam universalem, omnesq; adeo virtutes præ se fert, beata deprædicanda est Respubl. Beata est, si Imperantes propriis virtutum splendeant radiis: Beata si obedientes. Et Imperantes quidem in speculâ quasi constituti ònium in se convertunt oculos, juxta *Claudian.*

*Componitur orbis*

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus*

*Humanos edicta valent quam vita regentis.*

Princeps Phæbæ instar lampadis est, hæc, cum serena est, orbem irradiat; cum nubibus objectis flagellatur, eundem sædâ caligine involvit. Princeps si erit pietatis studiosus ac Religio- nis cultor industrius, non dubium, quin plebem talem habuerit; si virtutum simulatorem, qualem *Machiavellus* Florenti-

num illud monstrum depingit, habebit regnum, si crudelem, raptorem, fædisfragum, subditi illius imitabuntur exemplum: tutius enim exemplo, quam imperio reguntur *Reink. de reg. sec. & eccl. lib. 2. cl. 1. cap. 1. n. 30.* Hinc Eloquentiæ parens *Cicero lib. 30. de leg. optimè: Vitiosi, inquit, principes non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea in civitatem infundunt, neq; solum ob sunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt.* Contra ubi virtutes animi respondent dotibus corporis, pulcherrima oritur harmonia justitia maximè Imperii fundamentum præbet, id quod exigunt *R. J. de anno 1507. §. wie wohl wir in sin.* Hæc tam in commutando, quam distribuendo consistit. Cōmutativam Imperans observat in respectu ad privatorum contractus: distributiva utitur erga ministros benè officio functos, unumquemq; pro meritis honore mañans; quod olim maximè observarunt tam Athenienses, quam Romani in Rebuspubl. suis nobilissimis *Piccart. observ. historicopolit. decad. 1. cap. 6.* Assentatorib; & calumniatorib; aures vaciæ non dandæ temere, qui plerumq; optimis in Aulâ Officialibus insidiari ruinamq; meditari solent. Soli idonei ad magistratum promovendi, inq; consilium adhibendi, cum consiliarii docti principem decorent veluti splendor firmamentum cœli, ut non ineptè portio corporis regentis dicantur *l. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majest.* Non minus autem circa honores distribuendos, quam pœnas infligendas versatur justitia: Illi quidem ad distributivam, hæc verò ad cōmutativam referuntur meritò; si ad personas habetur respectus, quandoq; per consequentiam illud fit & secundario, primario culpa, & æqualitas inter culpam & pœnam spectatur cum *Hug. Grot. lib. 2. cap. 20. n. 2. de I. P. & B.* Commutativa ergò potius regnet in puniendis delictis, misã distributiva & multo magis harmonicã *Badin. lib. 6. de Repub. cap.* Confer. *Spectabil. Dn. Præsid. dissert. 3. de panis ex Arithmet. proport. statuendis fufus illa persequentis.* Hujus justitiæ administrandæ signum gladius in Romano Imperio Imperatori inter alia insignia, in publicis comitiis à Saxone Electore præfertur, qui terrorem fontibus & insontibus ab omni injuriâ & vi protectionem denotat. *Petr. de Annalo de Imper. Romano German. lib. 2. cap. 8. ibidemq; inneris Marquard. Erber.*

65  
§. 10. Ratio status quidem dominatur in præsens ubiq; & se-  
rè in ipsam sibi sumit justitiam imperium, ut sub rationis hujus  
velamine à Dei & juris præceptis desistant Imperantes. At  
abusus est ille rei optinæ. Varias rationis status descriptiones  
adducit Hippol. à Lapide in proleg. sect. 2. de Rat. stat. ubi tandem de  
suo addit, quod sit certus quidam politicus respectus, ad quam,  
tanquam ad normam seu cynosuram aliquam, omnia consilia  
omnesq; actiones in Republ. diriguntur, ut eò felicitiùs ac ex-  
peditiùs suam finem, qui est salus & incrementum Reipubl.  
consequantur. Plura de his congescit Wilh. Ferd. ab Effern. Ve-  
ram status rationem vocat Reinck. de R. S. de Ed. 2. cl. 1. cap. 1. n. 38.  
prudentiam civilem à virtutibus moralibus nunquam receden-  
tem. Scilicet ad confirmandam rationem status non faciendum  
contra jus divinum & religionem, ne manifestò violetur ho-  
nestas & æquitas Conring. dissert. de nr. stat. Quomodo religionem  
dum obtendunt, regiones petunt, sub justitiæ & sanctitatis no-  
mine injustitiam & credulitatem exercent, id cum aliis prætex-  
tibus simul & veris causis novissimè adduxit Pacific. à Lapid. in  
not. & strikt. in Severin. de Monzamb. disc. 1. p. 20. 21. Sic Hispani In-  
dos, quod servili eos ingenio natos esse putaverint, invaserunt,  
armisq; licet injustis oppresserunt, ut non iniquè grande latro-  
cinium vocetur à Thom. Lansf. contra Hisp. p. 416. Religionis quoq;  
prætextus Hispanicæ inquisitioni initium dedit, cum hæreticos  
omnes eliminandos, ultimoq; supplicio afficiendos judicave-  
rint contra expressa verba Salvatoris Matth. 13. zizania, iniquien-  
tis, simul cum tritico usq; ad tempus messis crescere debere: Ad  
quem locum aurea D. Lutheri verba adducit Rumel. ad A. B. part.  
3. dissert. 2. tb. 4. quæ huc adscribere placet: Wir sollen die Kezer  
nicht aufrotten. Christus spricht offensichtlich allhie / man soll es lassen  
mit einander wachsen / mit Gottes Wort soll man allein hie handeln.  
Denn es gehet also zu tu dieser Sachen / daß wer heut irret / kan mor-  
gen zu recht kommen. Wer weis / wenn das Wort Gottes sein Herr  
rühren wird? Wo Er aber verbrennet oder sonsten erwürgt wird / so  
wird damit gewähret / daß Er nicht kan zu recht kommen &c. Verum  
nihil in voce rationis latet causæ, quod verò hujus prætextu ta-  
lia dominationis & crudelitatis flagitia exercentur, extra vo-  
cis innoxiam est significationem. Conring. dissert. de nr. stat. tb. 54.  
§. 11. Ju-

§. 11. Justitiam exciperet fides: ubi enim fides & justitia exulant, non centuplex murg reb9 servandis sufficiet. *Plaut. in Persid.* In hujus fidei symbolum in codicillis Principum magno sigillo apposito inferuntur fila, ut doceatur Principem suis promissis perpetuò esse adstrictum. *Theosof. de Republ. l. 8. c. 8.* Ex adverso hortantur quidem nonnulli Pleudopolitici, quorum Antesignanus est *Machiavellus lib. 1. de princ. c. 18.* Principi duplicem personam esse assumendam, hominis & nonnunquam bruti, partim leonis, ut recusantibus quodcunq; vi eripere possit, partim vulpis, ad insidias struendas & fidem violandam. Verùm Principis naturæ nihil magis esse contrarium evincit, quod Dei in hac terrâ vicem sustineat, cujus non est mentiri aut dicta revocare *Numer. 23. v. 19.* quem hâc in parte more vicariorum, qui se ad principalis sui naturam & gestus pro virili accomodare solent, regentem imitari oportet, solam nudi promissi revocationem fugiat, cum verba sub principali fide *Wey Fürstlichen Ehren und Trewen* concepta juramento æquiparentur. *Reink. l. 2. d. 1. c. 2. n. 7.* quoad vim obligandi, non tn. quoad perjurium, formali enim juramenti, obtestatione scilicet religiosâ, destituuntur. Fœdera cum aliis sancita inviolata servanda, quoniam sunt arietes, quibus hostium conatus franguntur, concilia callida & pravæ machinationes avertuntur. *Warem. ab Ebreub. de fœder. l. 1. c. 1. n. 42.* Sed si fuerit infidelis ut Turca, cum quo fœdus iniit Christianus aliquis, an illi fides servanda sit, disquiritur. Equidem fœdera ipsorû prohibita sint, ceu periculosa ob religionis animorumq; dissensum, ac ad illicitum finem tendentia; feliciter enim, si quid eveniat, suis idolis, quod fideles divinæ gloriæ, adscribunt hæretici. Verùm longè aliter sentiendum de fœdere inter diversæ religioni addictos ineundo, quod illicitum meritò censemus, & inito: Si confœderatio jam fuerit peracta, fidem hujusmodi Heterodoxis non esse denegandam asserimus, cum fides hæretico data, non desinat esse fides, quod egregiè exemplo suo in Comitii Augustanis comprobavit Carolus V., cui cum Pontificiorum nonnulli, ut Luthero tanquam hæretico fidem non servaret, persuadere conati fuissent, respondit, fidem rerum promissarum etsi toto orbe exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere, uti narrat *Theosof. de Rep. l. 8. c. 8. n. 10.*



§. 12. Humanitas quoq; non parum exornat regnum statum, quâ  
sibi adeo subditorum animos reddit devinctos Princeps, ut quid-  
vis pro ipsius salute experiri optent, dum ipsos supplices ab ædium  
suarum foribus non excludit, alteram a se, alteram reo apertam  
habens aurem, quod Alexandrum fecisse legimus apud *Curt.* Stabili-  
tate regnum gaudebit. Contra qui morosi hominumq; conspectum  
fugiunt cum austeritate & Majestate, quam sibi in occultatione &  
à subditorum oculis subductione quaerunt, imperium amittere so-  
lent; observantia enim & amor subditorum, qui non nisi ex sensu  
firmissime roboratur, evanescit, & certissimam regni ruinam secum  
portat. Inde vix Reges dici merentur. Quod vidua quædã Mace-  
donum Regi causam audire nolenti objecit, O Rex, inquit, aut cau-  
sam meam audire oportet, aut non Regem agere. *Reink. lib. 2. cl.*  
*1. c. 3. n. 31.* Severitate tamen quandoq; miscenda est hæc affabilitas,  
ut qui virtutis amore nequeunt, pœnæ formidine in officio conti-  
neantur, ne dum his connivent Principes, tota communitio inficia-  
tur, ad instar Medicorum, qui ulsione & sectione, cum opus, utun-  
tur, ut unum potius membrum, quam totum corpus pereat. *Heid.*  
*Syst. pol. cap. 2.*

§. 13. Succederent plurimæ virtutes aliæ, animum Imperantis  
perficentes egregiè, quas sequeretur dotes corporis: plerisque in  
gentibus secundum *Curt. lib. 5.* ingens in corporis Majestate venera-  
tio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quàm quos  
specie egregiâ & eximîâ natura donavit. Neq; id sine causâ, cum  
forma corporis optima de optimo judicium ferat ingenio: namq;  
Gratior & pulchro veniens è corpore virtus. Fatendum quidem,  
fragile quid esse corporis pulchritudinem, quæ vetustate facile ex-  
tingvitur; verum cum duo sint genera pulchritudinis, secundum  
*Cicer. in offic.* quorû in altero venustas, in altero dignitas respicien-  
da, prioris generis inconstantiam, quod muliebri sexui relinqui-  
mus, non negamus, dignitatem tamen virili præservantes, quæ nul-  
li annorum mutationi subiacet. Sic Saul propter corporis formam  
& proceritatem commendatur. *1. Sam. 9. David. 1. Sam. 16.* Ipsæ apes  
hujus primordia in naturâ fundata esse ostendunt, cum sibi Re-  
gem, quem forma præ cæteris donavit, eligant. *Keckerm. disp. pol. 1.*  
*apb. 1.* Sexus æquè masculinus præferendus hic feminino, cum vel  
ipsa natura illi primas concesserit. Non quidem *absolutè* imperium  
dene-

denegamus feminino, cum argumenta opponantur nobis illa, cum Deum accusare eos, qui mulieri regimen denegant, eò quod ex masculi substantiã feminam produxerit, nec potius omnes mares procreavit; tum quod naturæ contrarium sit, quæ omnes homines velit esse æquales, tum quod jus gentiũ infinita exempla ostendat, ipsas animi & corporis donis præstitisse viris, feliciterq; regnasse. *In abstracto* tamen censemus sexum masculinum esse præferendum huic, partim cum ipsum jus divinum illam inæqualitatem ordinaverit, & feminæ voluntatem viro subjectam esse iusserit *Gen. 3. v. 16.* partim Natura obediendi magis, quam imperandi dono feminas instruxit: hinc ipsa molles & imbecilles reddidit mulieres, viros verò lacertosos, uxorem sub lecto, masculum sub dio agere debere innuens; partim juri gentium si quid tribuendum, maximam partem illud maribus jus regnandi dare videmus. Ut taceam incommoda, inde profluentia maxima, cum illa Gynæcocratia regna, principatus, Ducatus &c. ad exteros transferendi occasionem per nuptias & per consequens mutandi in aliam formam præbuerit, quo de *Livius* inquit *lib. 5.* Omnia repente mutaverat Imperator mutatus. Novi enim Domini novas afferunt leges, nova instituta, novos mores, novos etiam hostes, quibus nihil perniciosius esse, *Platonem* voco testem *lib. 7. de leg.* quæ tamen *secundum quid* accipienda, sunt singula salvâ loci cujuslibet consuetudine, quæ hodie multis in regnis feminas admittit, in regno Angliæ, Hispaniæ, Navarræ, & alijs adductis à *Rumel. ad A. B. part. 3. diff. 2. th. 18.* quibus hodie invictissimum Daniæ regnum addere licet. Pluribus vide *Schonborn. pol. 2. cap. 12. Arnif. pol. lib. 1. cap. 9. Etieventhal. colleg. polit. exere. 6. quest. 5. Tholos. 7. cap. 12. Heid. Syst. pol. cap. 2.* quæ liberioris exercij gratiã adduco circa corporis dotes, cætera habiturus in super datâ operâ.

§. 14. Et hæc respiciunt Imperantem materialiter spectatum: si parî ratione copia daretur progrediendi ad subditos, ingrediendi amplissimus aperiretur campus virtutes concernentes, vel Deum, vel Magistratum, vel concives deniq;. In Deum pietas requireretur ad veram religionem subditos incitans, quæ basis & fundamentum est, sine quo Respubl. diu consistere ne-

re ne-

re nequit. In Magistratum a more ferantur debito. In societate simplici parens liberos suos ex naturali instinctu paterno prosequitur affectu, liberi ex aduerso omni consecretantur eum amore, quia juxta *Hierocli. apud Stoba. serm. 67. de honor. parent.* Parentes sunt secundi & terrestres quidam Dii, quorum beneficiis perpetua animi gratitudine paria sunt referenda; quantumvis enim multa in eorum gratiam fecerimus, semper tamen inferiora erunt omnia, quàm esse debebant. At Princeps communis quasi patriæ & omnium pater *Ein Landes-Vatter* appellatur *Reinck. de R. S. & E. l. 1. cl. 1. c. 5. n. 69.* subditi quasi ipsius filii, quos patrocínio suo ab omni injuriâ defendit, paterno animo regit, omnibusq; vitæ necessariis dicat; meritò itaq; gratâ mente illa omnia agnoscunt, & quod re ipsâ nequeunt, amore suo resarciunt. Ex amore profluit honor superiori ab inferioribus exhibendus, annuentibus sacris literis & comprobantibus exemplis vel Ethnicis: qui enim Majestatem vellicare non erubescunt, illam non ferramentis, sed argumentis, non pilo, sed stylo, non hastâ, sed astu impugnantes, Deum certè, si temporalem effugerint pœnam, habituri vindicem. Subditorum propria manet obedientia, cum illorum sit legibus se subicere, legibus soluti Imperantis, tributa & vectigalia solvendo, quæ sunt subsidia belli & pacis ornamenta; non enim pacem servare, gerere bella sine nummis qui sunt rerum gerendarum nervi, possunt, cum juxta *Tacit. 4. histor.* Neq; quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; hæc sine tributis esse queunt: aliaq; onera, quibus superiorum dignitas publicaq; utilitas promovetur, subeundo, juxta illud Salvatoris nostri: *Date Cesari que sunt Cesaris, Matth. 22. v. 21.* Neq; præcipiet temerè Majestas humana aduersus divinam Majestatem; si contingat tale quid, cordi erit illud divinum iis, obediendum esse magis Deo, quàm hominibus. *Act. 5.* Quare ad quæstionem illam vexatam: *An Tyranno resistere liceat*, discernendæ sunt res civiles à mandatis divinam violantibus: gem: juxta illud *Augustini refer. Sutholt. in dissert. de juris dict.* Si aliud Imperator, aliud jubeat Deus, contempto illo, obtemperandum est Deo: minimè tamen gladio armisq; prosequendus ideò Tyrannus, cum boni Principes quidem voto expectendi, qualescunq; autem & mali tolerandi sint. *vid. Corn. Tac.*

*cit. l. 20. annal.* maximè Tyrannus exercitio talis tolerandus omnino, licet titulo talis tollendus magis videatur juxta leges memoratas à Cicer. l. 2. de invent. Deniq; subditis inter se concordia servanda est, Rerump. fundamentum, quo benè posito ceu parvæ res crescunt, magnæ contra discordiâ dilabuntur, quæ regni venenum est, hostibus ad Remp. aliquam opprimendam viam aperiens, ut pulchrè Owen. lib 3. Epigramm. 20. dicat.

*Unio divina est, divisio Demone nata,*

*Unus enim Deus est, Demones innumeri.*

Reverentiâ juniorum excipere debet ætate superiores, comitas probanda paribus, in conservatione infucata: omni depositâ invidiâ, ac æmulatione: benevolentia exercenda in inferiores, liberalitas in pauperes. Sed quò me rapit pulcherrimarum virtutum series? Digressus sum illarum venustate captus: Regredior itaq; ad præfixum scopum, committens illa Ethicis dicenda pluribus, bonitatem moralem spectantibus in bono, viro, quæ diversa omnino à bonitate politicâ in cive bono, eâq; compatatè, habito respectu ad diversas Rerump. formas, consideratâ.

## SECTIO II.

### CAP. I.

Proponens sententiam veriorem.

§. 1. Uti Rerump. diversitas essentialis depèdet ab Imperantiû numero, ita Monarchiæ forma est, in quâ unus summam potestatem habet, neminemq; præter Deum & eusem recognoscit superiorem, diversa ab illâ formâ, ubi plures, quàm unus ad clavum Imperii sedet, ut in Aristocratiâ & Democratiâ, quæ omnes habet superiores, vel paucioribus potestatem delegat. Nos nulli laudes suas *in concreto* detrahentes, possunt enim illæ Resp. benè constitutæ esse, sed *in abstracto*, missâ Imperantium habitudine diversâ accidentali, Monarchiæ tribuimus primas, ex mente Politicorum accuratiorum, quorum argumenta adducere in præsentia, nostrarum cum maximè erit partium.

§. 2. Primordium verò illa sumunt à *simplicitate Monarchiæ*, quæ unum suâ naturâ requirit in terrâ Imperantem, imitatura unum Imperantem in cœlis, ut Majestas monarchiæ terrena sit simulacrum & vera imago cœlestis: Unus Deus cœlorum unum Mundum regit, & suâ dominandi virtute perfundit universa.  
Unus

Unus Deus Terræ orbem sibi subiectum potentiam continet in unitate, & id præstare nititur, ne in diversam dividatur temerè: Idq; eò eminentiori ratione, cum unicus Monarcha cœli terræq; per unum Monarcham agere queat in homines felicissimè & vicarium sui instituat, qui partes tueatur ejus & cum hominibus humano more agat. *Inde Plato lib. 3. de leg.* hanc formam simplicissimam, cæterarumq; matrem nuncupat non injuriâ, & *Arist.* origine primam *1. Polit. cap. 2.* vocitavit, consentiente *Augustino lib. 4. de civitat. Dei cap. 6.* simplicissima verò est, quia in unitate consistit *Keckerm lib. 1. system. polit. cap. 1.* quâ in parte *Reinhard. König. in theatr. polit. part. 1. cap. 10. pag. 214. & 215.* Monarchiæ convenientiam ponit primùm in archetypo omnium rerum, qui mundi globum solus regit, & gubernat: est enim summus Princeps Dei omnipotentis in hisce terris diva imago, & ejus potentiam aliquo modo ob oculos ponit, citato in hanc rem *Bodin. de Republ. cap. 11. & Tholof. lib. 5. cap. 3.* Dein in mundo Angelico, ubi & Hierarchiæ certæ assignantur, quibus omnibus unus præest. Tertio in mundo siderali unum est astrum, quod splendore & dominio cæteris antecellit, ut Sol: præclaro hoc simili usus *Alexand. Magn. apud Curt. lib. 5. & Justin. lib. 12.* nec mundus duobus solibus regi potest, nec duo summa regna habere. Quarto in mundo animali, utpote in gruibus, apibus, de quibus *Plin. lib. 2. Histor. natur. cap. 7.* fatur: Sine Rege esse non possunt: Idem de feris sylvestribus, & cervis asserere sustinet *Engelbert. Abba. ad Maltens. in libr. de ore. & fin. Roman. Imper.* Quinto in Microcosmo una est anima. Sexto in œconomiâ unus paterfamilias in uxorem, liberos, & famulos imperium tenet.

§. 3. Simplicitati succedit *firmitas*: quod enim res simplicior, eò firmior, constantior & ab interitu sui remotior: quod magis verò distracta & in diversas partes rapta, eò vicinior resolutioni & inconstantior: Pacis interest. omnem potestatem ad unum conferre, edisserit *Tacit. lib. 1. Histor.* Exempla pro nobis loquantur in historiis, eorumq; summam collegit *Jun. part. 1. quest. 4.* nec non *Hippol. à Coll. cap. 1. pag. 13. & 14. in princ.* Et diuturnitas regni Asfyriorum, Perlarum, Ægyptiorum, Romanorum, Gallorum, Hispanorum, aliorumq; in formâ Monarchiæ explorata satis est ex historiis.



§. 4. Sponte inde prophanat & antiquitas; quæ dependet à firmitate & diuturnitate: graviter enim *Justin.* hac de re *lib. 1. cap. 1.* Principio rerum, nationumq; imperium penes Reges erat. & *Tall. lib. 3. de leg.* pronunciat, omnes antiquas gentes Regibus primum paruisse: nec minus *Salust. in Catil. 1.* In terris nomen Imperii primum fuisse refert. Quare *Egyptii* nullo tempore potuerunt vivere sine Rege *Herod. lib. 2.* & juxta *Schonborn. lib. 3. pol. cap. 1.* Imperium Romanum suos habuit Monarchas inde à Julio: Galli inde à Pharnabundo Rege habent: Athenienses à Cecrope usq; ad Codrum. *Lacedæmonii* à Lelege usq; ad Cleomenem: Hungari ab Attilâ, Hispani ab Athalarico, Angli à Britone, Poloni à Lecho, Bohemi à Zecho, Dani à Dano, Sveci à Magog, Scoti à Fregusio & sic porro. Et quæ non suppeditat exempla hodiernâ adhuc luce imperium Osmanicum? In quo Turcus Solimannus ad cadaver filij projectum olim dixit: ut unus in cælo Deus, ita unus tantum in terrâ Sultanus: Imò sententia homine indigna circumfertur penes eos: Ut calx compaginare ædificia, sic sanguis omnium, qui capaces ad sceptrâ gerenda sunt, consolidare novi principis dominationem solet. Indeq; veterum Osmanidarum Principum consuetudinem fuisse, ut cæteris interfectis unus semper relinquatur in regno, pluribus adductum fuit à *Præcell. Dn. Præsid. in disp. publ. de Majest. Osman. cap. 2. §. 11.* Quàm clarè Monarchia floret in regno Persico? quàm pulchrè lucet in regno Mogulum? in quo residet Monarcha potentissimus ex Tamerlani familiâ oriundus, X. ordine, Gelal Edim Mahumer, quo de *Athanas. Kircher. in Chinâ suâ monumentis illustratâ part. 2. cap. 5. pag. 78.* ita fatur: In publico auditorio eâ Majestate refulgebat, ut paucis ex Monarchis simili formâ habitus, quâ Numinis instar radiante diademate, ex auro, Perlis, lapidibusq; inæstimabilis pretii se spectandum præbet, in sede pari apparatu exornatâ, in manu globum tenet, quo se orbis Dominum, summamq; potentiam exprimit.

§. 5. Nec minus firmum sententiæ nostræ argumentum ab *militate* formæ ipsius præsentissimâ duci potest, utramq; respiciente partem, tam Imperantem, quàm parentem. Ratione Imperantis facilius reperitur unus vir bonus, & justiciam admi-

adminiftrans, quam plures: Unus magis ſibi conſentire præſumitur, quàm plurimi diſſentientibus animis: inde nullam patitur moram ſalus Reipubl. in unius conſilio auxilioq̄, quam tamen experitur sæpe numero in iſtitutis plurimorum. Quamdiu Pericles ex ſua unius ſententiâ res Athenienſes geteret, reſert *Thucyd. lib. 2.* tam diu eas bene proceſſiſſe, poſtea diſſenſione Prætorum peſſum iſſe. & *lib. 5.* ſemper reperies plurimum nocere & multitudinem Imperantium, & regimen nullum aut incertum. Idq; non modo in ſtatu pacato procedit, ſed & inquieto bellisq; tentato: de quo *Polyd. Virg. lib. 16. hiſtor. Anglic.* Bellicis rebus Monarchia optima, cum bello nihil ſuutilius, quàm unum habere Imperatorem, cujus nutu cuncta regantur. Si Athenienſes apud Plateas diutius de loci prærogativâ contendentiſſent, victoriam perdidiffent. *Herod. lib. 6.* Nec deerunt exempla Hiſtoricis tragica; multi enim Duces Cariam perdidierunt. Adeo valet illud Homeri:

*Multos imperitare malum eſt, Rex unicus eſt.*

Et illud Lucani lib. 1. bell. civil.

*Nulla fides regni ſociis, omniſq; potestas  
Impatiens conſortis erit, nec gentibus ullis  
Credite, nec longè fatorum exempla petantur:  
Fraterno primi maduerunt ſanguine muris*

Exulet ergo imperium ſociale à Monarchiâ, cum enim Monarchia ſit Reipubl. forma, in quâ unus imperat, hoc imperium definitioni iſti contrariaretur. *Conring. diſſert. de regn. & tyrann. th. 8.* Periculofum ſane eſt imperium, in quo plures conſociati regnant, quippe aſſiduum inter pares diſcordia malum eſt, & infida omnis regni cenſetur ſocietas. *Petr. de Andl. lib. 1. cap. 8. de Imper. Romano German.* non enim regna ſecundum *Senec.* ſocium ferre nec tedæ ſciunt: Et quod primum facile ſibi vendicat locum, in Monarchiâ ſecreta agitari queunt conſilia, atq; ſoveri, cum procedant ab uno, & in unum deniq; refluant fontem: Poſt Monarcha decernere animo aliquid, & inire ſecum conſilium nulli manifeſtandum: plurimi verò facile in diverſum trahuntur, & dum agitantur conſilia fervida, ſalus Reipubl. damnum patitur præſentiſſimum: Magnum igitur præſidium poſitum eſt in conſiliis ſecretis, quod olim obſervaviſſe

Servasse Romanos ex historia Papirii, cui postea Prætextari cognomen inditum, qui matrem propriam, quæ in senatu deliberata essent, percunctantem, cum illa secretò servanda fiat meritò, festivo mendacio decepit, clarescit. *A. Gelli. Noct. Attic. lib. 1. cap. 23.* Hinc Mauritius Saxoniz Elector quondam in hæc verba erupit. *Si meum indussum foret conscium mei consilii, atiq; repente de corpore detractum comburerem.* *Keckerm. System. polit. lib. 1. cap. 1.* Apud Lacedæmonas in privatorum conventibus moris fuit, ut qui in domo natus maximus esset, præforibus convivas excipiens, silentium ipsis indicaret, & ne quis sermo januis istis egrederetur, prohiberet. Laudabilè sanè consuetudine hoc in conviviis Lycurgi institutum fuit, maximè tamen commendandum his, qui Regum penetralia intrant.

§. 6. Ratione parentium Monarchia præstantior est formis cæteris, quia illi Majestatem Imperantis venerantur unanimi corde, ore, re, pro salute unius omnia bona fortunæ, naturæ, imò ipsum sanguinem offerentes: Universi pendunt ab uno capite, tanquam membra pulcherrime ordinata: à pluribus afficiuntur diversimodè plurimi, & contrarios sæpè numero patiuntur influxus: quod vel ipse Medorum Persarumq; Rex Darius apud Herodot. in *Thalia* pag. 309. gravissimè explicat hæc: Propositis tribus statibus & omnibus optimis, ut optimè imperet populus, optimè pauci, optimè unus, inter hæc multò antecedere unius imperium sentio. Nam unius viri, qui optimus sit, imperio nihil melius esse constat. quod qui sentit, non immerito statum popularem missum faciet, ut taceam sic præcipue consilia in adversarios trahi solere. Porro in statu paucorum, cum plures virtuti incumbunt, in publicum vehementiora privatim odia excitari consueverunt. Cum enim quisq; princeps esse optet, & in dicendâ sententiâ vincere, ingentia inter eos odia evadunt, ex quibus seditiones existunt, ex seditionibus cædes, ex cædibus ad unius imperium devenitur. Unde intelligi datur, quanto sit hoc illo præstantius. Jam verò plebe imperante, abesse non potest, quin malitia exoriat: exortâ malitiâ in Republ. intra malos non odia sunt, sed amicitiz validæ. qui enim adversus Rép. facinorosi sunt, mutuo se occultant, idq; tamdiu fit, dum ali-

quis



quis populo præpositus, tales homines compescat; ille videlicet, quam populus inter cæteros admiretur: hic cum admirationi est, tunc ferè Monarcha ostenditur, declarans in hoc, Monarchiam esse omnium præstantissimam. Colophonem his imponant verba *Isoeratis ad Nicoclem* pronunciantis: tantò Monarchiam faciliorem non immerito judicaverimus, quantò facilius est, animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis & variis opinionibus placere conari.

§. 7. Claudimus nostra argumenta, ordine decenti in medium prolata, consentientibus testibus caelestibus & terrestribus, macrocosmi & microcosmi, antiquioribus & recentioribus: ac autoritatibus allegandis super sedem eò faciliores, quò firmiora statuimus inesse pondera argumentis; quamquam pro nobis loquatur *Plato in Polit. Liv. lib. 6. Tacit. Plurarch. lib. propr. de monarch. Aristot. lib. 8. Eth. cap. 10.* aliq; scriptores clarissimi, monumenta formarum Rerum publ. describentes, quibus jungatur *Arnif. 1. pol. cap. B. Martini. cent. 1. quæst. illust. disp. 6. quæst. 10. Reinhard. König in theat. polit. part. 1. cap. Reink. de R. S. R. E. 1. l. 1. cl. 1. cap. 1. Rumel. ad A. B. part. 3. dissert. 2. thofe.* prolixius persequitur hoc problema *Gregor. Tholos. de Republ. lib. 5. cap. 3. pag. 152.* & sequent. in quibus dignitatem Monarchiæ præ cæteris formis confirmat suffus, & illius utilitatem in *cap. 4. pag. 162. & 163.* demonstrat luculentius.

## CAPUT II.

### Sententiam sequiorem sistens.

§. 1. In sententiâ contrariâ rejiciendâ primo denuò loco producimus in medium *Gregor. Tholosan. l. cit.* cum disputet præclare de agitâtâ illa quæstione in utramq; partem apud *Herodot.* inter optimates septem, qui post mortem *Cambyfis filii Cyri Regis Persarum* necarunt *Smerdis* magum, usurpantem tyrannidem, supposito nomine *Smerdis* necati fratris *Cambyfis*, filij *Cyri*: Unus illorum *Ottanes* pugnabat contra Monarchiam, partim, quod Monarcha omnia agat pro arbitrio & libidine impune: partim, quod tyrannus solus omnibus bonis invidet, deterrimis delectatur: partim, quod monarcha jura patriæ labefaciat, faminis vim adfert, indemnatos interimmit. Alius *Megabi-*

Megabizus ad Oligarchiam inclinans, popularem multitudinem rejecit, tum, quia nihil est insipientius eam aut insolentius: tum, quia ea ad res agendas sine consilio præcepit, Numini similis: ad optimates ergo deferendam esse Rempubl. colligebat, quia ex optimis viris optima essent consilia. Populus incertus vagus, inconstans, variabilis, in periculis timidus, in seditionibus audax & temerarius. Tandem Darius Hystaspis filius probavit quidem sententiam Megabizi, quatenus illa reprobat Democratiam: rejiciebat tamen nihilo secius statum optimatum, concludens, nihil melius esse, imperio unius hominis, qui optimus sit. Cum quo etiam nos facimus, ubiq; tamen *statum Monarchæ essentialem ab accidentali separantes*, ne quod concreti aliàs est, tribuatur temere abstracto, & confundantur distincta.

§. 2. Ejusdem propemodum farinae argumenta ab alijs nostræ obvertuntur sententiæ: partim concernentia Monarchiam, quæ facile in tyrannidem degenerare potest, quod non adeo proclive est in aliis formis: regerimus verò ad id, etiam Aristocratiam & Democratiam degenerare posse, & usui tantum proprio indulgere Fieret itaq; id *per accidens, non per se*. Deinde per mortem Monarchæ nasci ansam populo excitandi seditiones, mutationum periculosarum, maximè deficientibus hæredibus in regno successivo: præsentibus verò si fuerint, vel ætate adhuc esse teneriores, consiliorumq; incapaces, vel ad alia vitia proclives, damnum Reipubl. minitantia. Regerrimus verò confundi *accidentia cum essentiâ formæ*. Et licet Monarchia æquè sua patiatur incommoda, cæteræ tamen formæ pluribus æquè & longè majoribus tenentur incommodis, premunturq; molestijs. Partim comprobantia Aristocratiam, in qua omnia ad sanum Consilium revocantur, æquâ mente ponderantur, & ad Reipubl. salutem deciduntur. Respondemus his, nec Monarchiam desituri suo consilio & consiliarios esse oculos Imperanti splendentes, per quos videt Monarcha, esse manus, molem sceptrorum tenentes, esse cor Monarchæ, ex quo prodeunt arcana consilij. Præterea citius & felicius interdum consilium Monarchæ expeditur, quàm plurium optimatum.

§. 3. *Francisc. Piccolom. grad. 10. philof. moral. cap. 11.* Distinguit

guit inter id, quod est ἀπλά; bonum, & κατὰ νή, statuens, multa  
 inveniri absolute præstantiora, quæ non omnibus tamen con-  
 venire videntur: Imperium esse humano generi accommoda-  
 tius dupliciter: vel ratione eorum, quæ pertinent ad essentiam  
 universi generis humani: vel ratione propriarum conditionum,  
 distinctorum hominum, distinctarumq; nationum. Inde con-  
 cludit, imperium esse absolutè dignius alijs: populare cum legi-  
 bus humano generi, ex parte conditionum communium, cum-  
 his maxime accomodatam. Optimatum convenire hominibus  
 cum conditionibus proprijs, id est virtutibus consideratis.  
 Deniq; varia imperia varijs conditionibus hominum esse accõ-  
 modata. Non abnuente *Dana. lib. 1. polit. Christian. cap. 6. &*  
*Arist. lib. 3. polit. cap. 10. confer. laudat. König. l. cit. pag. 220. & 221.*

Cætera, quæ superesse videntur momenta, diducere fusius  
 instituti nostri ratio haud permittit: si nobilissima illa mate-  
 ria, & quæ præstantissimorum Politicorum hætenus exercuit  
 ingenia, minus dignè à me pertractata sit, & de gravissimâ re  
 tenuiter ac exiliter dixerim, veniam ab æquo rerum censore eò  
 facilius me impetraturum confido, quo magis ætas juvenilis in  
 errata proclivis est. Interea in magnis arduisq; rebus vel  
 sola etiam probatur voluntas. MONARCHÆ  
 MONARCHARUM SOLI sit gloria in secula  
 nunquam terminanda!

---

Ad  
 Dissertationis præsentis

AUCTOREM:

Politissime STARCKI,

Cum propter alias occupationes, quibus justâ continuandis serie  
 detineor indies, & præter ea numeris ligata dicendi ratio vel ab  
 ipso limpidissimo Hippocrenes, aut Aganippidos fonte petenda unice  
 sit; Hanc verò meam

Bellerophonteis vena redundet aquis:

veniam mibi dabis facilis pro humanitate Tuâ, Amicissime STAR-  
 CKI, si numeris soluto in præsens utar dicendi genere. Neq; excurram  
 in laudes Tuas, quas ad recti honestiq; normam compositi mores,  
 animi integritas, ac ille amplissimus studiorum astus jamdudum sibi

Diligenter fecere

fecere proprias, sed cum maximè eo nomine condignâ vebendus laude  
es, quod ex ordine agas laudabili, & accuratiori politices studio præ-  
missò, ad sacra Themidos fastigiu applicare animum statuas:  
Ita verò illud præclarè in TE merebitur locum:

Ubi desinit Politicus, ibi incipit Ictus.

Neg, tamen nostris moribus defuturi facile sunt, qui in diversam à TE  
rapti mentem, auspiciantur studia à Jurisprudentiâ, insuper habitâ ne-  
cessariâ Politices operâ: Non sine confusione maximâ, nec sine minori  
Rei literaria ac publica jaçturâ: Cui Tu verò acceptam de TE ex-  
pectationem excitas, & Patrie clarissime commoda promittis deside-  
rata, ac in presentissimos ortura tandem usus. Vale diutissimè, & rem  
suam fortunante Domino, age feliciter! Dab: festinanti calamo ex  
Museo meo.

M. Simon. Frider. Frenzelius,  
Facult. philof. Adj. ac  
Decanus.

**M**I STARKE, divini ingenij dotes tui  
Te non sinunt latere, sed foras amant  
Monstrare se cunctis. Bonum factum! Quid est  
Merces, foras quæ publico non promitur?  
Cui quæso prodest? En! opus Fautor, tuum  
Propriâ tibi pietate, diligentia  
Probitateq; haud desiste prosequi pari.  
Etenim mihi videor videre illum diem,  
Quo cum suis Tibi Se Themis totam dabit!

Constantinus Siegra D. P. P.

### Madridal

**A**ls Vaterland hat doch vergebens nicht  
Auff Dich mein Freund/ gehoffet  
Wenn dein gelehrter Kiel  
Was Grössers noch Verspricht  
Als was die Bluhm' in ihrem Knopfe zeigte.  
Zuand bricht sie in hoher Farb' herfür,  
Und zeigtet sich in ihrer rechten zier  
Das Vorgesteckte Ziel.

Se

So dein gelehrter Sinn:  
Als bald in ersten lauff erreichte/  
Hält dich annoch in seinen hohen schranken/  
Du suchest den gewinn  
So denen bleibt / so nicht fürm Zwecke wancken.

Dieses wenige setze in Ehl seinem viel-  
gehrten Herrn Landesmann zu ehren

Hermann Hagge  
von Husum aus Holstein.

Der so sich stets nach hoher Tugendt lenckt /  
Dem wird wie dir ein reicher Lohn geschenkt.  
Was aber ist der Lohn / den Tugendt uns kan bringē  
Sich von der schlechten Schaar / bis zu den Sternen  
Schwingen.

Wer aber hoch steigt ran ja leichtuch fallen:

Durch Tugendt steht man sicher über allen.

Wohlan mein werther Freund / du hast den Zweg erlangt /  
Bey dem die Tugendt stets mit reiffen Früchten prangt.  
Hans Sigismund von Seebottent-  
dorf / Equ. Siles.

Der lebt / und lebt doch nicht / der stetigst seine Zeit  
Ergiebt der Eitelkeit.  
Drumb lob ich deinen Sinn der blos nach Tugendt  
strebt:

Entferne von Lastern lebt.

Die Fama wird dein Lob in Stahl und Marmor schreiben /  
Wo dein gefaster Schluss bey dir wird feste bleiben.  
Krafft Burchardt von Boden-  
hausen / Equ. B.

Non tenent flammam cineres sepultas:  
Nec tui dotes genii latentes

Contines; clarus sed iis respondes,  
Gratulor ergo!

(affectu sc. quam versu prolixiori)

Johannes Maneke, Marn.

Dithmars.

**R**ieget nicht gar recht und eben /  
Solchen Danck ein hoher Geist /  
Der beym Himmel selbst zuschweben /  
Sich in dieser Welt befliebt /  
Dannhero Tag und Nacht  
Ist auff Lob und Ruhm bedacht.  
Das auch du dir vorgestecket  
Du mein Werther solches Ziel /  
Und dadurch dir Lob erwecket /  
Zeuger dein gelehrter Kiel:  
Darumb krönet Phoebus dich /  
Fahre fort! Mein Ander Ich.  
Fahre fort! Ein solch Beginnen /  
Welches geiget nach der Kunst /  
Kämpf nicht als von hohen Sinnen /  
Bringer mit der Tugend Gunst /  
Welche hie unsterblich macht /  
Was sonst sterblich ist geacht.

H. Merien / C.H.

**L**ist manchen in der Lieb' / in süßen venus Streit /  
In großer Gläser Kampf / in müßig gehn / in schlaffen /  
Und was ein Eytler liebt / verbringens seine Zeit /  
Der Himmel weis die schon / die dieses thun / zustraffen /  
Und rühmet dessen Thun / der durch den sauren Schweiß  
Der Tugend Früchte sucht: das ist tezt dein Beginnen /  
Du höchst geschätzter Freund dein ungesparter Fleiß  
Macht / das dich beydes Gott und Fürsten lieb gewinnen.  
Friederich Levin von Messsch /  
Eqv. Misn.

os(\*)de



94 A 7382

ULB Halle 3  
002 183 692




Sb.


VD 17

21.7.99 Od.









59 3

FORTUNANTE NUMINE!  
DISPUTATIO POLITICA  
De  
**REPUBLICA OPTIMA**

Quam  
Sub  
PRÆSIDIO  
VIRI

*Præcellentis atq; Praclarissimi*  
**DN. M. SIMONIS FRIDERICI FRENZELII**

Facultatis Philosophicæ Adjuncti longe dignissimi,  
& p. t. Decani Spectabilis,

*DN. Patroni & studiorum suorum Promotoris*  
*omni observantia cultu prosequendi,*  
PUBLICÆ

*Examinandam proponit*  
AUCTOR

**NICOLAUS STARCK, Crempâ Holfatus.**

*In Auditorio Majori*  
Die VI. Junii, horis Matutinis.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis MICHAELIS Wende.  
Anno M DC LXIX.